



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Qualiter se homo elongat à Deo. N

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

catum, eo tamen natura animæ corrumpitur.

*Quod peccatum proprie corruptio est animæ,
& quomodo.*

Peccatum vero, id est, culpa, proprie animæ corruptio est. Si autē queritur, in quo possit corrupti anima? In parabola illius quæ incidit in latrones, qui eum vulnerauerunt & spoliauerunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli traditur, & tunc per peccatum expoliatur gratuitis bonis, id est, virtutibus: & in naturalibus bonis vulneratur, quæ sunt ratio, intellectus, memoria, & ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur: & vitiatur. Per peccatum etiā priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona sunt: quo tanto magis priuatur, quanto magis se ab eo elongat.

Qualiter homo se elongat à Deo, scilicet per dissimilitudinem quam facit, hoc est peccatum.

Ab eo autē se elongat homo per peccatum, non loci distantia, quia ubiq; totus & præsens est omnibus, & omnia in ipso sunt, vt ait Aug. in lib. 83. q. & ipse locus non est. Locus tamen Dei abusu dicitur templum Dei: non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit & inhabitans; id autem anima munda intelligitur. Per peccatum ergo, non secundum locum, aliquis longe fit à Deo: & in eo longe fit, quod ab eius similitudine recedit: & tanto longius, quanto fit dissimilior. Illa autem vt Aug. ait in lib. 83. quæst. quæ participatione similia sunt Deo, recipiunt dissimilitudinem: At ipsa similitudo nullo modo ex æqua parte potest esse dissimilis. Vnde fit vt cū similitudo patris filius sit, ex nulla parte patri possit esse dissimilis: cuius participatione similia sunt, quæcunq; Deo similia sunt, & illa possunt recipere dissimilitudinē. Nihil est autem quod hominē ad Deo dissimilē faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit priuatio vel

cor-

*Quest. 20.
in fin. 10. 4.*

*Ibid. quest.
23. in fine.*

corruptio boni, quæ est in anima: est etiam priuatio vel corruptio boni corporis. Sicut corpus hominis priuauit beneficio illius immortalitatis & impassibilitatis, quam habuit ante peccatum.

An pœna sit priuatio boni.

O

Quæri autem solet, Vtrum & pœna sit priuatio vel corruptio boni. Ad quod facile responderi potest, si prædicta ad memoriam reuocentur. Diximus enim supra, priuationem vel corruptionem boni accipi actiue vel passiue, id est, secundum efficientiam vel effectum. Ideoque priuatio vel corruptio boni dicitur & peccatum & pœna: sed peccatum secundum efficientiam, quia priuat vel corrumpit bonum: pœna autem secundum effectum, id est, secundum passionem, quæ est effectus peccati. Aliud est n. culpa, aliud pœna: alterum est Dei, id est, pœna: alterum diaboli vel hominis, id est, culpa.

QVOD QVÆDAM SIMVL SVNT PEC-

cata & pœna peccati, quedam peccata & causa peccati, alia vero peccata, & causa, & pœna peccati.

DISTINCT. XXXVI.

A

Sciendum est tamē quædam sic esse peccata, ut sint etiam pœnæ peccatorum: Vnde Aug. super illum locū psal. 57. Supercecidit ignis & non viderunt solem, ait, Ignis superbiæ & concupiscentiæ & iræ intelligitur. Istas pœnas pauci vident: ideo eas maxime commemorat Apostolus in epistola ad Romanos, & enumerat multa quæ peccata sunt, & pœna peccati. Inter primum n. peccatum apostasiæ & ultimam pœnam ignis æterni media quæ sunt, & peccata sunt & pœna peccati. Greg. quoque per Ezech. ait, Contemnenti qui non vult pœnitere ponit Deus offendiculum, ut scilicet, grauius impingat. Peccatum enim quod per pœnitentiam citius nō deletur, aut peccatū est & causa peccati,

*Aug. vers.
8. psal. 57.
Cap. 1. d*

*Ro. II. ad il-
lud. & zech.
8 Si autem
tu annuncia-
ueris iusto.*

Gg 5 aut